

Si Luna infortunata, aspexerit partem planetæ interficientis, natus interficietur. Et si cum hoc fuerit in signo membrorum abscissorum, Ariete, Tauro, Leone, uel Piscibus interficietur ense aut mutilabitur, si Luna non fuerit infortunata.

Si dominus octauæ domus, & dominus partis planetæ interficientis, infortunant se inuicem, natus interficietur ense.

In nocturna genitura uide gradum cum quo occidit Luna, qui si fuerit in quadrato Martis, natus interficietur.

Si fuerit dominus septimæ sub radijs Solis, natus morietur in occulto.

Dominus ascendens combustus abscondita ægritudinæ natum perimet, qui si sit infortunatus à Marte, incendio morietur, si à Saturno, aqua, atq; hoc intellige, si in octaua dominium habuerit.

Luna & Mars in octaua domo, si Mercurio fuerint oppositi, tali natus siderum posito manibus latronum peribit, si in signis terreis, in sanguine suo purpuream natus euomet animam, In aquosis à pecorum abactoribus, In fixis, ab effractoribus domorum, armis in filientibus, uel quòd natus tali constellatione in ijs facinoribus deprehensus, publicè plectetur.

Mars in octaua domo damnans dominum octauæ mors nati erit ex ferro.

Mars capiti Algol coniunctus, ita quòd sit inter eos distantia 16 minutorum, uel minus, eunte Marte ad ipsam stellam, & dominus domus in qua fuerit luminare conditionarium, qui dicitur dominus Anaubæ, uel exaltationis, uel duarum aliarum dignitatum, fuerit in opposito Martis, uel in eius quadrato, nec aspexerit aliqua ex fortunis gradum ascendens, nec fuerit in octaua domo, natus capite plectetur. Si aspexerit fortuna retrograda uel combusta gradum ascendentem, uix poterit prohibere, quin decapitetur natus, sed non decapitabitur ex sua culpa. Si non fuerit impedita, releuabit natum à mala morte, sed tamen morietur de ægritudine capitis, ex calida causa, & hoc infra 50 annum. Quòd si non fuerit de Marte hoc quòd dictum est, fueritq; in octaua infortuna, morietur mala morte. Si fuerit ibi fortuna non impedita, morietur bono modo. Si illa fortuna fuerit impedita, morietur ex aliqua incommoditate sibi superueniente. Si fuerit luminare in Medio coeli cuius est auctoritas, sed cum conditione prædicta, natus suspendetur. Quòd si fuerit aliquis malorum tunc in geminis, & alter in piscibus, abscedentur eius manus uel pedes, secundum significatum ligni in quo inuenies illum, qui magis fuerit maliciosus. Si fuerit Mars corporaliter iunctus domino ascendens, idq; in Leone, nec habuerit Mars in ascendente aliquam dignitatem, nec aliqua ex fortunis fuerit in octaua, natus comburetur. Si tunc Mars fuerit retrogradus uel combustus, uel cadens, accidet hoc ei ex sua culpa. Si uerò non fuerit impeditus, accidet ei ex causa, quam non meruit.

Si Mars fuerit iunctus capiti Algol, absq; alicuius fortunæ aspectu, luminari temporis in opposito, uel quadrato existente, natus obruncabitur.

Si Sol & Luna ambo infortunati in sexta fuerint, caput nato detruncabitur.

Si dominus ascendens applicat domino octauæ ex quadrato uel opposito, natus erit occasio suæ læsionis.

Luna infortunata in signo membrorum incisorum, Ariete, Tauro, Leone, uel Piscibus, truncabuntur membra nati, & interficietur. Si uerò non fuerit infortunata, truncabitur membrum, & non interficietur.

Quando signum quartæ domus fuerit fortunatum, & dominus eius in domo & termino fortunæ, natus morietur bona morte.

Si Mars fortem significationem habuerit in morte, aut fuerit dominus domus mortis in igneo signo, & signum octauæ igneum, natus comburetur. Si in signis aëreis, morietur ex uulneribus.

Innatus